

De usu Pontificalium pro Abbatibus Ordinis Cisterciensis.

Animadversiones super voto Magistri Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae P.

Scriptis Dr. Robert Trilhe, Ord. Cist.

(Schlus zu Heft I. 1902, S. 3—16.)

In Tractatu Monastico de Jure ac potestate Regularis observantiae S. Bernardi Hispaniae, Ordinis Cisterciensis. auct. Mag. Fr. Nicolao Bravo. Olivae Antistite. Pamplonae, 1647; haec leguntur: „Item non obstante illa limitatione: in Monasteriis et prioratibus sibi subjectis, etc. . . . possunt etiam in alienis Praelatorum exemptorum, de eorum licentia et permissu, aut si ab eis ad talia pontificalia invitentur, *quod et praxis in usu tenet*, et docet Lopus, Alleg, 19, cum Mendosio, consentitque Flavius Cherubinus, in Comp. Bull. Urb. IV, const. VI — et etiam de Ordinibus celebrandis eo pacto tenet Thomas Sanchez, tom. 2. etc. . . .“

Praeterea in Elucidatione exemptionis et jurisdictionis Sacri Ordinis Cisterciensis. . . auctore R. P. D. Hilgero Burghoff S. Ord. Cist. Campililii (Lilienfeld) monacho, Collegii S. Bernardi Praegae Superiore, SS. Theologiae Doctore, ejusdemque in Archiepiscopali Seminario Pragensi Professore Ordinario; Praegae, 1654. — Denuo Waldsassii (Waldsassen) a. 1729 recusa; — dicitur (cap. XVII. n. 501.) „Ex dictis sequitur, et dico 3°. Abbates Cistercienses posse consecrare altaria portatilia, fixa, nova, translata, restaurata, mutata, in quibuslibet locis dicti Ordinis. . . ita docent citati omnes (Suarez, scilicet, Diana, Tamburini, Barbosa, Miranda, Naldus et alii) quibus adjungo Roderic. tom. 1. 4. 28. a. 2. Llanas, p. 4. c. 3. §. 4.“

„N. B. 502. Ubi advertendum est quod iuxta concessionem Innocentii altaria portatilia, calices, campanae, etc. si aliunde afferantur, ab illis Abbatibus posse in suis ecclesiis consecrari, et si accedat licentia Ordinarii idipsum possunt *in Ecclesiis alienis, ut praxis docet in Boemia*.“ Numero autem sequenti, ex mox citato prologo Pontificalis Cisterciensis ostendit hanc eandem potestatem competere non solum Abbatibus Cisterciensibus perpetuis, sed etiam triennialibus Hispaniae „dummodo id faciant in suis monasteriis, *etiam extra* si accedat licentia ordinarii. . . *Utrumque esse in usu* testatur Manriquez. . .“ (n. 503, l. cit.)

Jam vidimus Abbatem S. Ambrosii Mediolanensis a remotissimis temporibus extra ecclesiam propriam in Pontificalibus

procedere, nam Beroldus ille, auctor Caeremonialis Mediolanensis supra citatus saeculo XII^o florebat, et bulla Urbani VIII, Gregis Dominici, 7. Decemb. 1630 data fuit; toto ergo spatio illo temporis, Abbas S. Ambrosii hoc usus est privilegio quod in Urbaniana concordia illi fuit attributum.

Benedictus etiam XIV, uti supra memorabam, in suis litteris In suprema (10. Junii 1741) testatur Abbates de Stams in Tyrolio pontificalia exercuisse „tam in propria eorum monasterii ecclesia quam extra eam usque tunc et ab immemorabili tempore.“

R. D. Ambrosius Avignono, Abbas S. Benedicti Ord. Cist. Insubrae Congr. S. Bernardi Visitor Major, in suo Manuali Cisterciensium Italiae Abbatum; — Mediolani, 1755; — haec inter alia scribit: „Illud extra dubium esse videtur, nimirum eos Abbates, quibus Pontificalium usus generaliter et indefinite permissus est, non comprehendi sub illis restrictionibus, de quibus in praecitato decreto sub Alexandro VII... Idemque sentiendum de Abbatibus benedictis. Namque anno 1726, Abbates quibus Benedictus XIII munus benedictionis impertitus est, iussi sunt accedere Mozetta et Mantelleto induti, atque eodem deinceps habitu uti consueverunt in publicis et privatis actibus. *Cuius quidem rei ego testis ocularis fui*, qui praesens in Urbe aderam, cum inter alios, solemniter a praelaudato Pontifice benediceretur Cardinalis nunc Besutius, olim Abbas S. Crucis in Jerusalem, tumque praesul mihi beneficentissimus...“

„In Belgio, et in Galliis praecipue, Cistercienses Abbates, *numquam dimittunt pectoralem Crucem.*“ (v. Habitus praelatitius.)

Uno verbo: annis 1489, 1629, 1630, 1647, 1654, 1729, 1741 et 1755, non in uno loco, sed in Gallia, in Hispania, in Italia, in Bohemia, in Tyrolio, in Belgio et etiam Romae, monumenta certissima nobis testantur existentiam consuetudinis, quae jam anno 1489 immemorialis vocatur, quaeque Mediolani saltem saeculo XII^o vigere ostenditur, iuxta quam Abbates Cistercienses pontificalia exercent, pontificalibusque insigniis ornati procedunt, tam intra quam extra proprias Ordinis Ecclesias.

III. Ex usu hodierno. — Hanc autem consuetudinem non fuisse interruptam, vel abrogatam a S. Rit. Congregationis decretis ex iam deductis liquet, et patebit ex responsione ad primum. Ad hoc directe evidenter demonstrandum praxim hodiernam exponere sufficit. Attamen cum nimis longum et supervacaneum esset singula Ordinis Monasteria omnesque provincias

percurrere, inter sexcenta quae afferri possent, nonnulla seligam exempla quae vel recentiora sunt,¹⁾ vel mihi magis comperta.

Postremis hisce annis Eminentissimus Cardinalis Langénieux Archiepiscopus Rhemensis in Gallia R. D. Augustinum Marre, Abbatem Igniacensem Ordinis Cisterciensis, in dicta Rhemensi dioecesi nunc Episcopum titularem Constantiensem, invitare consueverat, ut in sua Cathedrali Ecclesia diebus solemnibus sacrum pontificaliter celebraret, quod ipse ob infirmam valetudinem praestare non poterat. Imo, ut dictum Abbatem posset etiam ad visitationem dioecesis peragendam delegare, postulaverat ut illi concederetur facultas ministrandi sacramentum Confirmationis et consecrandi Ecclesias; sed ut Ordines etiam conferre ac omnes pontificalis ministerii actus peragere valeret, a SS^{mo} Dno N^{ro} Leone Pp. XIII ut ad episcopatum promoveretur impetravit.

Item R^{ds} D^{ns} hodiernus Episcopus Vivariensis, qui ab infirmitate impeditus nequit diebus solemnioribus, iuxta Caeremonialis Episcoporum praescripta, in sua cathedrali ecclesia pontificaliter celebrare, nè tamen populus suus sacris functionibus eiusmodi privetur, modo Abbatem B. M. ad Nives Ord. Cist. in dicta dioecesi, modo Abbatem de Aquabella eiusdem Ordinis in dioecesi Valentinesi, ut vices eius suppleant invitare consuevit.

In dioecesi Tolosana Eminentissimus Cardinalis Florianus Desprez haud raro R. D. Abbatem S. M. de Deserto Ord. Cist. ut in Cathedrali ecclesia vel alibi, ipso praesente vel absente, pontificaliter sacrum faceret rogavit. Idem saepe fecit Eminentissimus Cardinalis Fr. Desideratus Mathieu, qui etiam anno elapso dictum R. D. Abbatem, ut sui vices suppleret pro huiusmodi functione pontificali Pibraci in festo S. Germanae Cousin, delegavit. Hodiernus quoque Tolosanus Archiepiscopus Ill^{mus} ac R^{ms} D^{ns} Augustinus Germain eundem R. D. Abbatem hocce ultimo semestri ut quater in pontificalibus celebraret, Pibraci scilicet apud FF. Scholarum Christianarum, ac Tolosae in Cathedrali ecclesia, in conventu FF. Praedicatorum et in Sacello Dominarum a SS^{mo} Corde, postulavit. Non semel denique idem R. D. Abbas rogatus a RR^{mis} DD^{nis} Episcopis Appamiensi, Montalbanensi et Cadurcensi, ac Archiepiscopo Auscitano, cum Mitra nonnullis solemnioribus conventibus vel festis interfuit.

Hoc ipso anno occasionem nactus qua solemniter coronaretur imago B. M. V. de Foro Julii (Fourvières) Eminentissimus Cardinalis Petrus Hercules Coullié, Lugdunensis Archiepiscopus „Congressum Mariale“ approbante benedicente Summo Pontifice adunavit. Huic vero conventui ac festis Galliarum Episcopos

¹⁾ Meminerint lectores hanc dissertatiunculam mense decembri 1900 exaratam fuisse.

Abbatibus complures invitaverat. Cistercienses Abbates de Aquabella et de Sinanca inter alios affuere, qui una cum Episcopis pontificalibus insigniis induti processerunt.

Imo quotiescumque solemnior festi celebratio vel conventus, aut centenaria memoria celebranda recurrit in Gallia omnes Episcopi Abbatesque invitantur.

Nec in Gallia tantum aliisve regionibus, sed Romae etiam non semel egomet vidi Abbates Cistercienses mitra aliisque pontificalibus insigniis decoratos sacris functionibus extra ecclesias proprias, imo in ipsamet Vaticana basilica adesse. Signanter anno 1888, quatuor saltem Abbates Cistercienses mitra et pluviali induti, post maturam Magistrorum Caeremoniarum Pontificiae Capellae deliberationem, post Episcopos sedentes Canonizationi SS. Joannis Berchmans, Petri Claver et Alphonsi Rodriguez, s. j. ac Septem Fundatorum Servorum B. M. V. SS^{mo} D^{no} N^{ro} Leone Pp XIII sacrum solemniter celebrante adstiterunt.

Quotannis demum in basilica S. Crucis in Hierusalem de Urbe, Abbates Cistercienses Reformati invitantur sacrae functioni Feriae VI in Parasceve, necnon festorum Inventionis et Exaltationis S. Crucis, cui mitra et pluvialibus induti interveniunt, ita disponente Praefecto Caeremoniarum Apostolicarum, E^{mo} Cardinale Vicario pontificaliter celebrante.

Quam quidem praxim nec ignorat, nec improbat Sac. Rit. Congregatio. Imo paucis abhinc annis cum R. D. Stanislaus White, nunc Abbas Vallis Lusciniae Ordinis Cisterciensis, qui mihi factum retulit, apud S. Sedem munere Procuratoris Generalis fungeretur, Episcopus quidam Angliae apud dictam S. Congregationem conquisitus est quod Abbas Montis S. Bernardi Ordinis Cisterc. extra suam Ecclesiam pontificalia insignia deferret et solemniter celebraret. Procuratores Ordinis, de more super re pro voto interpellati, nihil aliud reposuerunt, nisi quod ita omnes Ordinis Abbates agebant, et quod semper eos ita agentes viderant, privilegii Ordinis innixos; Sacra vero Congregatio Episcopo nihil rescripsisse videtur, quod saltem Abbatis modus agendi reprobaretur.

Ad rem R. D. Albertus Battandier, Protonotarius Apostol. S. Congr. EE. et RR. Consultor, in opere cui titulus „Annuaire Pontifical Catholique“ (1900) pag. 196, haec habet: „*dans la pratique il est admis au vu et au su de l'Eglise Romaine que les Abbés Mitrés... fassent sur invitation des Révérendissimes Ordinaires ou avec leur permission expresse toutes les cérémonies et fonctions qui ne requièrent pas le caractère épiscopal.*“

Ex omnibus ergo quae diximus, concludere liceat: tum ex privilegiis Summorum Pontificum, tum ex consuetudine immemoriali, tum ex praxi hodierna, Abbates Cistercienses possunt extra

propriam et Ordinis ecclesiam pontificalia exercere et pontificalia insignia deferre.

Ad primum ergo dicendum quod rationes a meritissimo Caeremoniarum Magistro Cathedralis ecclesiae P. falso videntur niti fundamento. Practice siquidem, si non theoretice, argumentatur quasi omnes Abbates insignium pontificalium privilegio decorati, hoc privilegium tum, quoad qualitatem dictorum insignium, tum quoad eorum usum, cum eadem extensione receperint. Praelatis denique omnibus episcopis inferioribus applicat decreta pro canonicis edita.

Hinc duplex confusio: 1° Omnibus Abbatibus indiscriminatim applicat quae a iure communi statuuntur, nullo habito respectu ad privilegia particularia; — 2° Praeterea tanquam ius commune pro Abbatibus statuere nititur normas a S. Sede praescriptas pro canonicis quibus nonnulla insignia fuerant concessa.¹⁾ — Ex primo quidem capite videtur supponere omnes Abbates frui de iure privilegio pontificalium, cum tamen in ipsomet Pontificali Romano dierte distinguatur, ubi de Benedictione Abbatis agitur, inter Abbates de Mitra et alios. Deinde falso etiam supponitur omnes Abbates de Mitra iidem decoratos esse privilegio. Suppositi falsitas evidentia primo intuitu apparebit conferenti decreta S. Rit. Congr. allegata (diei 27. Sept. 1659) cum variis privilegiis iam recitatis hac in re Cisterciensibus concessis. Ut autem videamus quomodo sit intelligendum quod dicitur, nullam scilicet in re liturgica materiam haberi tam praecise determinatam privilegio Abbatum, nonnulla statim afferemus concessionum specimina.

Bibliotheca Cluniacensis (p. 515) refert bullam qua Urbanus II. concedit Abbati Cluniacensi usum mitrae et aliorum insignium pontificalium „in quinque praecipuis monasterii solemnitatibus, et in Epiphania et in Ascensione.“ Ergo septies in anno. Paschalis vero II. hoc privilegium confirmat et concedit „pro octo festivitatibus“ (p. 572) Abbati Pontio eiusque successoribus. Idem denique Pontifex (ibid) confirmando privilegium, illud extendit ad omnia festa „in quibus hymnus angelicus inter missarum solemnias decantatur.“

In Bullario Cassinensi invenitur sequens responsum a S. Rit. Congregat. die 13. Januar. 1631 emanatum: „Solis Episcopis privative competere paramenta sumere de altari pro celebratione missarum, cum ministerio famulorum inservientium pro abstergendis manibus, cum vasibus argenteis; idemque competere

¹⁾ Quam longe distent privilegia canonicorum, etiamsi ad instar Abbatem haec ipsis forent concessa, ab Abbatum privilegiis, dilucide exponitur in Ephemeridibus liturgicis, Januar. 1901, a pag. 32.

Abbatibus Benedictinis, habentibus usum pontificalium, in eorum propriis ecclesiis dumtaxat, nisi alio particulari privilegio muniti sint.“ Citatur etiam postea indultum concedens praelato inferiori ut duobus ministris uti possit in missa privata „ad instar Abbatum Cassinensium“. (Analecta Juris Pontificii, fascicul. 14. Maii 1856. col. 2206.)

Jam vidimus, saltem ex parte, quaenam sint Cisterciensium privilegia, et Abbatum Corbeiensium. Benedictus XIV in citata epistola prima ad Abbatem Campidonensem (§ 14) refert nonnulla privilegia Abbatis Einsidlensis: „Illud vero ratum, indubiumque est Paulum III, praedecessorem nostrum Abbati Ludovico, eiusque in Einsidlensi Abbazia successoribus copiam fecisse, ut, quamdiu haereses obtinerent, Ecclesias, Oratoria ac coemeteria dedicarent. Pontificium diploma ann. 1542, die 19 Dec evulgatum est, quod rursus Pius IV, Noster item Praedecessor, suis literis Apostolicis ann. 1562 nova sanctione roboravit, servato eodem verborum tenore, qui sic habet: „Quod ipse Ludovicus, et pro tempore existens Abbas Monasterii huiusmodi, durantibus dictis haeresibus, praefatum Monasterium, et quaecumque ad illud pertinentia, Ecclesias, Oratoria, Coemeteria, et loca hactenus consecrata et benedicta, quovis modo pro tempore polluta, reconciliare, et nondum consecrata et benedicta neenon Calices, Patenas, libros, vestimenta, et alia mobilia, ac etiam tabernacula custodiae Eucharistiae consecrare et benedicere.“

Ipsemet Benedictus XIV R. D. Engelbertum Abbatem Campidonensem litteris Apostolicis die 12 Martii 1748 editis ministrum delegerat ad consecrandam ecclesiam Campidonensis Monasterii, „recepto prius oleo sacro ab Episcopo benedicto“. Haec quidem consecratio a dicto Abbate mense Majo sequenti solemniter peracta est.

Singulare quoque exemplum nobis suppeditant alia privilegia Principis Abbatis Einsidlensis O. S. B. in Helvetia. Pius VI, (1. Febr. 1785) Pastoralis Officii, confirmat concordiam initam inter Episcopum Constantiensem Ordinarium et Principale Monasterium Einsidlense in qua continetur: „§ V. Episcopus quantum in se est concedit Principi Einsidlensi, ut in sequentibus parochiis et locis Einsidlensibus cum Au, et Fahr, Feijsisberg, Freyenbach, et Sarmensdorf, ecclesias tam modo existentes, quam illas quas imposterum, praevio consensu episcopali, erigere contigerit, una cum altaribus, etc. consecrare possit: sicut et ei usum pontificalium ad solemnis missae ac vesperarum celebrationem in ecclesiis patronatus sui saecularibus, . . . libere ac amice concedit.“ Et revera idem pontifex per litteras in forma brevis, eodem die et anno datas, incipientes Etsi iuxta, Abbati Einsidlensi et successo-

ribus confert potestatem ministrandi sacramentum Confirmationis et (quoad § V.) Ecclesias consecrandi, nec verbum faciens de exercitio pontificalium et de consecratione altarium extra ecclesias et loca sibi subiecta, quae forsitan ex antiquis privilegiis ipsi competeabant.

Quae quidem hucusque recensitae concessionibus Abbatibus regularibus factae quantum inter se differant et praesertim quantum a decretis Alexandri VII distent nemo est qui non videat. Sed praeter Abbates regulares dantur nonnulli sacerdotes saeculares, quorum beneficia, capellaniae vel ecclesiae abbatiiali titulo decorantur, quique ipsi Abbates vocantur. Ex istis nonnulli ad instar Abbatum regularium insigniis pontificalibus decorantur; speciminis gratia nonnulla indulta citare liceat, ut ex solo intuitu appareat an sit tam praecise determinata materia ista pontificalium. Quamvis tamen, libenter fateor, privilegia huiusmodi Abbatum saecularium magis consonent tenori decretorum a S. R. C. emanatorum sub Alexandro VII.

Pius VI, Dum insignis tuae (24. Maii 1791), parochialem ecclesiam SS. Petri et Pauli dioecesis Lucanae in Abbatiam prioralem infulatam erexerat, ac parochis seu Abbatibus prioribus infulatis concesserat „ut in ista sua ecclesia tantum, et absente archiepiscopo Lucano, pontificalia deferre ac in pontificalibus celebrare libere ac licite possint.“ Qui proinde usus iuxta normas et decreta alias a S. Rit. Congr. emanata regulabatur. Ast instante abbate infulato SS. Petri et Pauli pro extensione privilegiorum, idem Pius VI, Quae a nobis (11. April. 1794), concessit ei: „... ut in actu benedicendi populum cum SS^{mo} Eucharistiae Sacramento, qui Orationi XL horarum per annum consuetae interfuit, pontificalibus vestibus indutus e sacrario praedictae ecclesiae tuae egredi, in pontificalibus praeter consuetas festivitates in aliis etiam quatuor solemnioribus anni diebus tuo arbitrio eligendis celebrare, in aliis pariter quatuor solemnioribus ac frequentioribus anni diebus solemnibus missae in cathedra, sine tamen baldachino, ac cum faldistorio, assistentibus dumtaxat diacono et subdiacono et adsistente, interesse, ac in diebus festis Purificationis B. M. V., feriae quartae cinerum, dominicae palmarum, et sabathi maioris hebdomadae mitra uti libere et licite respective...“ Quae simplici parochi in ecclesia non exempta concessa, quam longe sint a littera et mente decretorum a clarissimo Magistro Caeremoniarum allatorum!

Pius Papa VII. Exponi nobis (31. Maii 1816) Abbatiam S. Mariae de Colle d'Albaro prope Januam, in dignitatem mitratam erigit, ac committit archiepiscopo Januensi ut concedat „moderno et pro tempore... Abbati, ut ipse in Vesperis et Missis intra

eandem ecclesiam dumtaxat in solemnioribus anni festivitibus, ac etiam in aliis ecclesiasticis functionibus celebrandis per te statuendis ac etiam in aliqua processione illinc incipiente eodemque redeunte, per ipsum solemniter facienda, mitra linea, palmari, annulo, et reliquis abbatialibus indumentis, ad instar aliorum abbatum mitratorum, atque decorationibus uti... ita tamen ut pontificaliter ibi praesente archiepiscopo Januensi, vel S. R. E. Cardinali, tunc neque mitra, neque ulla alia ex decorationibus praedictis uti valeat, sed tantum palmari, neque crucem pectoralem gestet extra praedictas sacras functiones...“

Idem Summus Pontifex, Pro pastorali (31. Jan. 1817) Abbati mitrato cuiusdam beneficii sub invocatione S. Juliani in parochiali ecclesia S. Salvatoris dioec. Castrensis translati, confirmat privilegia „ut rector Abbas huiusmodi mitra aliisque abbatialibus indumentis per rubricas generaliter praescriptis uti, ac pontificalia more Abbatum mitratorum saecularium, intra ecclesiam dumtaxat, in qua beneficium ipsum translatum... reperiatur, in solemnioribus festivitibus, non tamen praesente episcopo, ac sine ullo cuiuscumque iurisdictionis episcopalis, tam supra ecclesiam et beneficium, quam supra ipsum abbatem praecudio exercere, libere et licite possit, et valeat.“ Hoc quidem indultum adamussim concordat cum decretis quae ius commune in materia pontificalium constituunt, ac proinde abbas ille, in omnibus, hisce normis se conformare tenetur.

Simile privilegium ad tramites iuris communis idem Pius VII Abbati S. Mariae de Sanitate in suburbio Januensi, Tua virtutum (26. Junii 1819), sed restrictius adhuc concessit, in hunc modum: „tibi, ut donec, et quoad memoratam abbatiam retinueris, pontificalia deferre, ad instar abbatum mitratorum, atque in pontificalibus in dicta ecclesia, in solemnioribus anni festis tantum celebrare licite et libere possis... indulgemus; itemque hoc privilegium ad abbates successores tuos qui ex tua familia erunt dumtaxat, non autem ad alios extendimus pariter..“ Sed idem Abbas hanc restrictam facultatem a Leone XII, Exponendum nobis (19. Aug. 1828), ampliari obtinuit, ac sibi concedi: „ut archiepiscopi in singulas vices impetrata venia, in omnibus istius Genuensis dioeceseos ecclesiis pontificalem ornatum possis induere, ac solemnia sacra pontificum ritu celebrare; insuper sacerdotales vestes, aliaque ornamenta ecclesiastica .. benedicere, demum calices et patenas rite consecrare “

Sed iam satis superque demonstratum est illud quod intendebamus, tot fere scilicet modos pontificalium privilegium participandi esse, quot sunt Abbates indultarii; nec proinde ex solo decreto 27. Sept. 1659 rem esse definiendam, sed potiori modo

ex indultis peculiaribus. — Insuper dum privilegia Abbatibus regularibus concessa verbis praegnantibus enunciantur, restricte omnino, si de Abbatibus saecularibus sermo sit, proferuntur, ut cuius specimina a nobis allata conferenti statim apparebit: hinc ab abbatibus saecularibus ad Abbates regulares non valet consequentia, nec vice versa: a fortiori ea quae pro canonicis statuuntur ad abbates regulares extendere nequaquam fas erit. Haec est communio privilegiorum a Pii VII Constitutione Decet Romanos Pontifices (4. Jul. 1823) reprobata utpote nullo in iure fundamento innixa, minime illa quae inter Abbates regulares, eiusdem praesertim Ordinis, in vim privilegiorum Apostolicorum existit.

Ex altero hocce capite, aequivocationem patitur clarissimus Magister Caeremoniarum, omnia in praecitata constitutione prolata Abbatibus applicando, quae ipsis minime convenire in rei veritate possunt. Scopus enim Summi Pontificis est confirmare decretum Ex Romanorum Pontificum a S. Rit. Congr., die 27. Augusti 1822, editum: licet ergo memoret decreta ab Alexandro VII et Benedicto XIV approbata, hoc ad punctum iuris minime pertinet, nec nisi obiter dictum videtur: unde et constitutio et decretum ad canonicos tantummodo spectant ut legenti apparet: „Nedum enim modus pontificio diplomate praestitutus interdum violari conspicitur, sed id crebro honoris ac privilegii usurpari, *nulla habita locorum, actuum, personarumque ratione,*¹⁾ quod vix primoribus ex ecclesiastica hierarchia datum dignoscitur.. ideoque quod praecipuum abusu id genus caput est, privilegium pontificalium *collegiis canonicorum insignioribus* liberaliter collatum statis quibusdam conditionibus moderandum curavit (S. Rit. Congr.) praesertim in Panormitana die 22. April. 1684, et in Urbinatensi die 29. Januarii 1752.“

„Novis tamen et deterioribus adhuc percrebescentibus adversus haec instituta consuetudinibus, nonnullisque dubiis nuper delatis super usu pontificalium in metropolitana ecclesia Barensi.... (S. Rit. Congreg.) edendum censuit decretum quo pontificalium privilegia declarentur, certisque legibus ad ritualium praescriptionum normam coerceantur.“ Ecce habemus expressum decreti scopum: coercere pontificalia, *non Abbatum, sed Canonicorum.*²⁾

¹⁾ Haec conferantur cum verbis sequentibus, quae initio Constitutionis inveniuntur: «Ut et episcopalis Ordinis majestati consulamus adversus eos, qui ex communione, quam obtrudunt, privilegiorum *cuncta pene quibus episcopalis dignitas splendescit*, sibi attributa arbitratur.» En habes reprobatae communionem.

²⁾ Cfr. Ephemerides liturgicae, Januar. 1901, pg. 30.

Ergo decretum Abbates non tangit nec aliquid contra ipsos statuit. Fateor tamen de iis mentio fieri sub num. 2 et 3 in hunc modum: „2. Praelati episcopo inferiores pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatori, statutis tantum diebus in propriis ecclesiis ab episcopali iurisdictione exemptis, et tenentur in reliquis omnibus adamussim servare generalia decreta Alexandri VII a Benedicto XIV confirmata. — 3. In ecclesiis non exemptis vetantur iidem pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa ordinarii licentia.“ Sed haec historice tantummodo refert S. R. C., non quasi rem confirmans vel de novo statuens. Cur ergo de his mentio fiat ipsum decretum nobis ostendit subiungens: „4. Dignitates, canonici, rectores ecclesiarum quocumque nomine insignium, *prohibentur* ritus et caeremonias pro episcopis *et praelatis inferioribus* designatas in sacris peragendis adhibere aut ornatum aliquem pontificalem induere absque speciali apostolicae Sedis privilegio.“ Sequitur deinde numerus V, cuius ultima verba nobis objicit clar. Magister Caeremoniarum, quasi de Abbatibus dicta fuerint: in quam aequivocationem non incidisset si integrum numerum citasset, ac verba in suo contextu attulisset. „5. Quodcumque privilegium ad augendum insignium quarundam ecclesiarum splendorem ab apostolica Sede *dignitatibus canonicis, rectoribus*, aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, *utpote laesivum dignitati episcopali*, de iure strictissime est interpretandum. Quamobrem nihil aliud concessum intelligendum est, nisi illud quod est speciatim expressum...“ etc.¹⁾ Ista privilegia utpote iuris tertii laesiva, stricte sunt interpretanda, nec ipsis applicari potest axioma iuris: „Favores convenit ampliari“; quod in interpretatione rescriptorum gratiae citari solet. Conceduntur enim pontificalia

¹⁾ Hic obiter notare liceat decretum Pii VII constituere ius commune pro capitulis quibus usus pontificalium fuit collatus. Nec ideo censentur revocata indulta magis extensa, si quibus fuerint ante dicta decreta concessa, uti videre est ex litteris Apostolicis Leonis XII, Quotiescumque Romani Pontifices, 22. Dec. 1823, pro canonicis Metropolitanae ecclesiae Neapolis, et Strenuus Adsertor, 4 Julii 1824, pro Canonicis Salernitanae ecclesiae, editis. De privilegiis autem Capitulorum idem dicendum esset quod de Abbatum pontificalibus supra animadvertebamus: Non cum eadem extensione omnibus conceduntur; imo vix duo indulta similia reperies ex his quae citantur in Bullario romano. Cfr. Pius VI, Postquam ad Summi, 14. Julii 1795, pro Canonicis Cathedr. Caesenatens. Pius VII, In summo Apostolatus, 12. Janv. 1802, Canonicis Metropolit Senensis; Quantum dignitatis, 12. Janv. 1802, Praeposito Collegiatae de Provenzano Senensis; Quantum splendoris, 2. Oct. 1804, et Exponi nobis, 3. April. 1805, Canonicis Cathedr. Lyciensis; Romanorum Pontificum, 28. Julii 1818, Canonicis Cath. Liparensis. Leo XII, Romanorum indulgentia, 9. Januarii 1824, Canonicis Cath. Paetensis; item alia Romanorum indulgentia, 3. April. 1827, Canonici Mestropol. Amalphitanae. Clemens XIII, Alias felicis, 13. Aug. 1766, Canonicis Urbinatens. Clem. XIV, Dilecte filii, 10. Oct. 1771. Canonicis ecclesiae Ariminis.

„Canonicis, dignitatibus, rectoribus“ qui tum ratione personarum suarum, tum ratione locorum in quibus celebrant, episcopali iurisdictioni subsunt. Ast quomodo laesivum erit episcopi dignitati ius aliorum episcoporum, vel privilegium praelatorum exemptorum quasi Ordinariorum, qui in propriis ecclesiis ab episcopali iurisdictione exemptis celebrant, vel extra, sed de expressa episcopi licentia tantum?

Ad secundum deinde respondeo, quod ex iam dictis patet Cistercienses Abbates pluribus esse privilegiis insignitos, quibus non derogaverunt generalia decreta Alexandri VII a Bened. XIV confirmata; imo, ut supra demonstravimus, nova privilegia post dictum decretum fuerunt concessa, vel antiqua confirmata. Quinimo, ex ipso etiam decreto „satis apparet Cistercienses Abbates non esse in eodem comprehensos. Ut enim praetereamus tritum argumentum ex eo depromptum quod ibidem nulla occurrit mentio Cisterciensis Ordinis, uti alioquin fieri oportebat ad hoc ut comprehenderentur, vigore litterarum Gregorii IX, Innocentii VIII, Alexandri IV et Gregorii XIII; ut inquam momentum istud praetergrediamur, illud inconcussum est, sive ex tenore ipso relati decreti, sive ex doctorum in decursu allegandorum sententia, nimirum Sacram Rituum Congregationem derogatum minime voluisse specialibus indultis, quae alioquin de iure peculiari competent.“

„Eapropter vel in ipsa fronte decreti id statim aperitur, non alio tendere enunciatum decretum, quam ut tollantur ac eliminentur circa ecclesiasticos ritus, qui irrepserunt, abusus... eo praesertim tempore, quo ipsi praelati privilegia perperam interpretantes, obtendentesque, parum obsequi student decretis pluries ab eadem Sacr. Congregatione hac in remet evulgatis, aut ipsa ignorare praetexunt.“ Quibus sane verbis datur intelligi nunquam eo decreto fuisse cogitatum, ut novum ius conderetur, sed ut vetus innovaretur ad praescriptum apostolicorum indultorum, ita ut in posterum inferioribus episcopo praelatis non liceret sibi vindicare quam ea, quae per S. Sedem expresse fuerant permessa, quaeque in eadem declaratione recensentur, veluti de iure communi iisdem praelatis competentia.“

„Quod quidem non semel insinuat in decursu ejusdem decreti, ubi semper reservantur iura, quae vigore specialium indultorum convenire possent. Ita dum § 12. praescribitur ut inferiores praelati „indulgentias impartiri, vel publicare non audeant“ statim adjicitur sequens clausula, videlicet: „absque expresso sanctae Sedis indulto“, uti jam § 6. de mitra pretiosa dispositum fuerat iis verbis, quae ibidem afferuntur: „Mitrā pretiosā, nisi illis expresse a S. Sede indultā, non adhibeant.“ Similiter § 14. quo statuitur, ut iidem „prae-

sente episcopo etiam pontificaliter celebrantes, a benedictionibus cessent“: aequivalens apponitur exceptio, id est „sine speciali Sedis Apostolicae permissu.“ Atque hoc idem observatur § 17. ubi declarato, minime eis licere Mitra, baculo aut aliis pontificalibus insigniis uti „in caeteris actibus (Missarum, Vesperarum, Matutinarum solemniis ter tantum in anno ut praefertur exceptis)“ haec illico subduntur, „nisi de expressa Sedis Apostolicae concessione.“

„Hoc ipsum observare licet in posteriori ejusdem S. Cong. declaratione diei 12 Junii 1660, inserta praeallegato decreto sub Alexandro VII. Namque supplicante P. Procuratore G^{li} Congregationis Cassinensium „ut quae Abbatibus Cassinensibus particulari Apostolicae Sedis indulto ex vetitis, ac praeter expressa in decreto novissime super usu pontificalium edito, adhibere liceat, praevia discussione declaretur;“ Sacra ipsa Congreg. uniformi tenore ulto exceptit quae peculiaribus indultis comprobata sunt iisdem competere, utcumque vigore decreti minime viderentur permissa.“

„Quare in memorata declaratione haec inter alia leguntur per eandem S. Rit. Cong. resoluta, nimirum: „Ad § 5. quo tribus diebus tantum de praeepto, etc. pontificalis celebratio permittitur, exponentibus Monachis, taxationem huiusmodi non extendi ad usum pontificalium sine baldachino, ac praeterea ex indulto Alexandri II. sibi competere pontificalium usum in exequiis Nobilium virorum: S. Congr. censuit huiusmodi privilegium tantummodo suffragari Monasterio Cavensi, nec ad alia Monasteria extendi“

„Ad § 19. quo vetita est abbatibus benedictio sacrae suppellectilis pro usu alienarum ecclesiarum, asserentibus Monachis etiam pro aliena ecclesia ex apostolico indulto eis licitum esse ecclesiasticam suppellectilem benedicere: Sacr. Congr. mandavit exhiberi indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum, et interim abstineri.“

„Sed neque Summus ipse Pontifex Alexander VII. cuius iussu editum est allegatum decretum moderatorium facultatis pontificalium in inferioribus episcopo praelatis, derogatum voluit specialibus in hac parte indultis Apostolicis. Et ideo calculo suo firmare intendens, sive decretum ipsum, sive posteriorem, cuius mox meminimus, declarationem, hanc clausulam expresse adiecit: „Salva quavis contraria verbaliter expressa dispositione privilegiorum particularibus monasteriis Congregat Cassinensium concessorum.“ Quapropter, cum

iuxta regulas iuris, in pari causa, qui de uno negat, de alio concedere videatur, manifestum ideirco est, non obstante memorato generali decreto, salva et integra remanere peculiararia indulta, si quae sunt, specialiter nonnullis praelatis concessa.“

„Et hoc quidem constare ulterius potest ubi excurrantur aliae eiusdem S. R. Congr. resolutiones in hanc rem emanatae, veluti illa diei 10. Novembris 1614, quae ita habet: „Abbatess et alii superiores regularium non possunt benedicere paramenta ecclesiarum sibi non subditarum, abrogata contraria consuetudine: nisi super hoc obtineant ab Apostolica Sede speciale privilegium, tunc enim etiam Calices, Aras et Campanas benedicere possunt, et alia consecrare in quibus intervenit unctio. Apud Nicolium in Flosculis et apud Naldum V. Abbas“

„Hinc ideo est quod sive S. Concilii Congreg. sive Rotae auditorium hoc ipsissimo sensu, de quo supra, et sub eadem exceptione intellexerunt relatum Alexandri VII. decretum, „pluries ab eadem S. Rit. Congr. in remet evulgatum.“ Unde prodiit 10. Septemb. 1614 declaratio S. Conc. Cong. videlicet: „Abbatess utcumque benedicti, licet benedicere non possint ea, in quibus sacra unctio requiritur, si tamen muniti fuerint specialibus Sedis apostolicae privilegiis, munus praedictae benedictionis quoad ea in quibus requiritur unctio praedicta impendere poterunt.“ Apud Barbozam de Jure Eccl. l. 1. c. 17; et apud Tamburinium de Jure Abb. tom. 1. disp. 23. quaest. 1. num. 5.“

„Adhuc expressius hoc ipsum firmavit Rota in Lucensi coram Cerro, 26. Junii 1662, in haec verba: „Licet Abbatess prohibeantur exercere pontificalia extra eorum ecclesiam ex decreto S. Cong. Rit. edito 1659, 17. Septembris, hoc tamen non procedit, quando contrarium ex privilegio doceatur.“ Decis. recent. part. 3. decis. 193. num. 10.“

„Disserens propterea Caesar de Panimollis, decis. 30. adnot. 1, nu. 6., de decreto Urbani VIII. hac de re edito, (quod reincidit cum eo quod mox allegavimus ab Alexandro VII. pervulgato) in haec verba scribit: „Sed quod non obstante dicto decreto generali Urbani VIII. salva remaneant ea privilegia, quae expresse et verbaliter aliquibus Monasteriis huiusmodi usum in pluribus solemnitatibus et temporibus concedunt, iuxta declarationes S. R. t. Cong. sub die 20. Julii 1660 de quibus testatur de Luca in suo Thesauro veritatis to. 3. Disc. 15, num. 2 et 3. Unde stantibus dictis declarationibus, huiusmodi particularia privilegia non sunt vigore generalis decreti restringenda et coarctanda ad celebrationem Missarum pontificalium in tribus tantum anni solemnitatibus etc. ut advertit idem de Luca loco citato nn. 3 et 5.“

„Cohaerent haec quae superius deducta sunt cum iis quae tradit Benedictus XIV. in sua notificatione 20, to. 1. ubi declarans, vigore praefati decreti sub Alexandro VII. emanati, non posse Abbatibus regularibus facultatem competere benedicendi sacram suppellectilem „pro usu alienarum ecclesiarum“, in haec verba concludit: „Quando gli Abati Regolari abbiano i chiari privilegi Apostolici di benedire i paramenti, e consecrare i vasi non solamente per le loro chiese ma ancora per le altre, non intendiamo, che d'essere protettori e conservatori de' loro privilegj“ Adeo verum est vel ipsum praelaudatum Summum Pontificem, cuius auctoritas quanti semper facienda sit omnes norunt, nullam agnovisse in memorato generali decreto Alexandri VII. neque tacitam derogationem particularium privilegiorum: ut subsistat proinde quod ab initio praefati fuimus, nimirum S. Rit. Congregationem unice decreto suo praescribere voluisse quid praelatis episcopo inferioribus conveniat, spectato iure communi, sive attentis communibus pontificalium privilegiis, ac salvo semper iure peculiari, quod ratione specialium indultorum competere posset, quibus S. ipsa Congregatio decretis suis numquam praeiudicium inferre intendit.“ (Avignono, Manuale Cist. Ital. Abbatum; v. Pontificalia.)

Nil ergo mirum si Cistercienses, quibus ratione privilegiorum suorum competeat exercitium pontificalium in alienis ecclesiis, ab huiusmodi decreti Alexandri VII. observatione se exemptos reputarunt. Quod ipsamet Congregatio declaravit die 17. Junii 1660, in hunc modum:

„Cum a quibusdam timoratae conscientiae Cisterciensibus Abbatibus dubitatum fuerit, an sub decreto per S. hanc nostram Congregationem emanato die 27. Septembris anni proxime praeteriti 1659, fuerint comprehensi Abbates Cisterciensis Ordinis utpote specialibus Summorum Pontificum privilegiis insigniti: Sacra Congr., ut huic occurreret pia dubietati, sic instante Abbate D. Hilarione Rancati Ordinis praedicti Procuratore generali, ac Summarium privilegiorum et gratiarum proprio Ordini per diversos Summos Pontifices in diversis temporum differentiis concessorum exhibente, *declaravit decretum praenominatum alias a se editum non afficere, quoad eorum Ecclesias et loca ipsis subiecta aut comprehendere Cistercienses Abbates tanquam Privilegiis specialibus ab Apostolica Sede condecoratos, quibus Sacra Congregatio derogare nunquam suis decretis intendit.* (D. Robertus Sala in Comment. in Oper. Card. Bona, tom. II. p. 263. — Analecta Juris Pontificii t. 2. c. 2206. — Avignono, Manuale Abbat. v. Pontificalia. — Nomasticon Cisterciense, nova edit. p. 393.) Nec nos movere debet quod memoratum decretum non afficit Cistercienses Abbates

„quoad eorum ecclesias et loca ipsis subiecta“: nam uti sapientissime notat D. Robertus Sala, „Sacram Rituum Congr. nedum sensum, sed et verba ex Innocentii Papae VIII indulto sumpsisse.“ Quorum proinde verborum genuinus sensus, non ita obvius pro iis qui diversos gradus iurisdictionis Ordinis nesciunt vel non bene attendunt, supra declaratus est, et ex ipso privilegio Exposcit est repetendus. Et si quis instaret objiciens quod fortasse S. Rit. Congr. licet verba Innocentii VIII sumpserit, sensum tamen non retinuit, et in obvia significatione adhibuit, declarans scilicet, per argumentum, quod vocant, ex sensu contrario, Cistercienses coarctari per decreta Alexandri VII, eisque obnoxios esse extra ecclesias et loca ipsi subiecta; Ad hoc responderem quod istud nullo pacto potest admitti, cum, uti supra vidimus, hoc sit aperte contra privilegia Cisterciensibus indulta, etiam ante memoratum decretum. Insuper, quod praecipuum est in allata declaratione, S. Rit. Congr. principii instar ponit decretum Alexandri VII non comprehendere „Privilegiis specialibus ab Apostolica Sede condecoratos, quibus S. Congregatio derogare nunquam suis decretis intendit.“ Hoc est firmiter tenendum. Hinc parum refert, si, fortasse ex errore facti, S. Congr. putans Cist. Abbates non esse decoratos privilegiis quoad usum pontificalium in alienis ecclesiis, censeat eos esse in hoc observationi decreti restrictorii adstrictos: quia non ideo sententiam mutavit, ac aliunde stantibus in rei veritate, uti supra ostensum est, talibus privilegiis, quibus derogare non intendit S. Congreg., certum est Abbatum Cist. iura non restringi aut coarctari generali decreto. Nec dubium (ut notat Avignono loc. cit.) quin hoc respondeat intentioni quam voluit expressam praefata S. Congregatio in relato priori decreto sub Alexandro VII. Hinc legitime concludere licet Cisterciensium privilegia per dictum decretum nec revocata nec imminuta fuisse.

Demum pro coronide citare iuvat quae de observantia dicti decreti habentur in opere cui titulus „Annuaire Pontifical catholique 1900“ auctore R. D. Alberto Battandier, Protonot. Apost. ad instar Partic. Consultor S. C. EE. et RR. (p. 196): „Ce décret suscita dès son apparition de nombreuses réclamations, et des réguliers ont obtenu, postérieurement au décret, les honneurs que celui-ci leur refusait. Puis, par une sorte d'imitation, les monastères qui n'avaient point demandé personnellement une dérogation au décret d'Alexandre VII, crurent qu'elle était de droit, puisqu'ils voyaient à côté d'eux des exemples qui semblaient autoriser cette interprétation. La pratique des évêques, invitant des abbés à officier dans leurs cathédrales, à participer en crosse et en mitre aux processions, eut pour effet de rendre presque lettre morte un décret qui, d'ailleurs, ne fut presque jamais observé.“

„Dans la pratique il est admis au vu et au su de l'Eglise Romaine, que les abbés mitrés se servent de trois mitres comme les évêques, et fassent, sur invitation des R^{mes} Ordinaires, ou avec leur permission expresse, toutes les cérémonies et fonctions qui ne requièrent par le caractère episcopal.“

„On dira peut être que cette coutume est contraire et au décret d'Alexandre VII, et au décret Ut Apostolicae, l. V. tit. 7, de Privilegiis, in Sexto, de Clément IV.“

„Il est facile de répondre que la coutume qui peut faire les lois, peut aussi les abolir quand elle est revêtue des qualités convenables, et, de plus, comme l'usage de la mitre et des pontificaux reste toujours, en fait, soumis aux évêques, leur autorité n'est pas diminuée par une permission qu'elle a cru devoir accorder.“

Ad tertium vero dicendum quod Abbates nequeunt utique sine privilegio apostolico extra ecclesias proprias celebrare, valent tamen si dicto privilegio sint muniti, uti Cistercienses. Nec sufficit consensus vel licentia ordinarii, nam „Episcopus non potest delegare quae sunt Ordinis Episcopalis inferioribus sacerdotibus, sed tantum aliis coepiscopis, ut habetur etiam in c. Quod sedem, de Offic. Ordin., cum tamen Summus Pontifex possit aliqua ex his committere inferioribus sacerdotibus.“ (Suarez, De Religione, tract. 8, l. 2, c. 30, n. 5.)

Ad quartum dicendum, quod omnia quae hic allegantur iam praecoccupata sunt in praecedentibus. Ad decretum vero 28. Junii 1642, respondeo quod Cistercienses probe sciunt sibi sine indulto apostolico extra ecclesias proprias celebrare minime posse, sed hoc indultum habent; optime norunt etiam Ordinarios non posse hoc ius tribuere. In decreto autem 11. Julii 1739, rursus inculcatur haec eadem doctrina: sed Abbates Cistercienses usum pontificalium restricte non habent, sed generaliter et indefinite, ut ex allatis privilegiis constat; nec ab Ordinariis petunt facultatem, sed licentiam celebrandi in ecclesiis ipsis Ordinariis subiectis, modo illae ecclesiae non sint Ordinis Cisterciensis in sensu Innocentiani indulti, quia tunc nec licentia indigent.

Ad quintum dicendum quod praecursus articulus decreti non valet nisi contra eos qui decreto ipso obligantur, minime contra alios. Merito deinde dubitari posset an sit sufficiens derogatio dispositionibus iuris quibus Regulares ita eximuntur a iurisdictione episcopi, ut non possint ab eo excommunicari, suspendi vel interdicti (ex c. Volentes, § In eos. De privileg. in VI.; et c. Ex parte, ibid. et c. Quorumdam, de Excess. Praelat.). Ast certe non sufficit ut possint Cistercienses censuris plecti, nam in hoc decreto, et in hac censurarum inflictione non nominantur, nec

Ordo Cisterciensis, contra formam privilegii Gregorii IX, Cum Cisterciensis Ordinis (3. Idus Januar. 1228.): Insuper nullus Episcopus, neque Legatus Sedis Apostolicae, potest contra ipsos sententias excommunicationis, suspensionis vel interdicti proferre, absque mandato speciali, quod profecto non continetur in generali dispositione allegati decreti. (Lucius III, Monasticae sinceritas, XI Cal. Dec. 1183; — Honorius III. Cum Ordinis vestri, IV Non Dec. 1219; — Innocent. IV, Efficax vestrae devotionis, VII Id. Oct. 1251; — Alexand. IV, Ex parte siquidem, Idib. Nov. 1257; — Innocent. VIII, Ad Romani Pontificis, III. Cal. Sept. 1487.)

Ad sextum dicendum quod exemplum non est ad rem. Nam isti Abbates Calaguritanae dioeceseos, qui nominantur, scilicet de S. M. la Real de Nájera, de S. Millan de la Cogolla, de S. M. de Balbanera, omnes erant e Congregatione Vallisoleтана Ord. S. Benedicti, nec ad Ordinem Cisterciensem pertinebant; porro, uti vidimus in hac materia pontificalium videnda sunt peculiaria indulta uniuscuiusque Ordinis seu monasterii, nec ideo valet consequentia ex uno Abbate ad alium, nisi eodem modo sint privilegiati, quod non est gratuito supponendum. Praeterea illa S. R. C. decisio non est nisi applicatio facto particulari decreti generalis Alexandri VII, quae non valet, nisi in quantum dicti Abbates sint sub praedicti generalis decreti dispositione comprehensi, quod minime certum est, ut in ipsa decisione expresse cavetur his verbis: „Nisi *doceant* de legitimo et valido privilegio in contrarium, quod sit in viridi observantia, vel quod *alias* sibi legitime competat praedictorum usus (pontificalium).“ Patet insuper ex declaratione eam fuisse editam „ad instantiam Episcopi“ non auditis Abbatibus.

Ad septimum denique respondendum quod cum Benedictus XIV confirmaverit tantum decreta Alexandri VII, ad eos solummodo se extendit Benedicti XIV dispositio, quos Alexandri VII decreta tangebant, minime vero ad illos qui specialibus privilegiis a S. Sede condecorati fuerant, quibus indultis Sacra Rituum Congregatio, uti ipsamet declaravit, suis decretis numquam derogare intendit.